



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 19. Sacerdotes placidi sint & benigni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

uantes, procul ab omni populari turba commotioneque secretos; *Sacerdotes*, inquit, *ab omni turba separati vitam agant*. Quanto potius iure summi Dei Sacerdotes huiusmodi vitam agant, & à mundo sæculique turbis sequestrati, & hominum commercia deuittantes, in quiete dies transigant? Hoc igitur modo vitam instituite.

CAPVT XIX.

Sacerdotes placidi sint & benigni.

Sacerdotis
arma sunt
benignitas
& humani-
tas.
*Lib. 6. di-
uin. instit. c.
10.*

Sacerdos
placide lo-
quatur &
benigne
respondeat.

Lactantius Firmianus sæculi sui oraculum de virtutibus sermonem instituens & imprimis de clementia, ait, clementiam ac sapientiam hominis arma esse à natura illi indidit & longius progressus ait, Deum rerum artificem nullam animalibus sapientia dedisse, vires tamen & animos ad sui in periculis imminentibus defensionem & audaciam maiorem contulisse: at homini, quem nudum penitus in terra posuit & fragilem creauit, inter cetera affectum quemdam ad pietatem, benignitatemque illi indidit, vt hominem alter homo defendat, amet, tueatur, eique in omnibus discriminibus ac vitæ aduersitatibus succurrat. Adeo vt summum inter se hominum vinculum sit, humanitatis, quod qui diruperit, nefarius & paricida existimandus est. Quod doctor ille de omni in genere clementia dixit, equidem in Ecclesiæ gratiam dixerim, vera Sacerdotum arma esse humanitatem & clementiam.

Inter prouerbia Salomonis non postremum hoc sibi locum vindicat, Responsione molli frangi iram, & sermone duro suscitari furor.

rem id est, Sacerdotes præ ceteris benignè placideque respondere debere, & numquam asperè seuerèque loqui, priori enim flamma iracundiæ extinguatur, & altero succenditur & magis magisque crescit.

Atque ut asperitas semper aliquid stoliditatis admixtum habet, ita quoque, teste sapiente, benignitas & affabilitas sapientiam arguit; cum sapiens in verbis seipsum affabilem facit. E quo necessario infero, Sacerdotes, qui in verbis asperiores sunt, esse è numero stolidorum; at qui in benignitatem propendent, sapientes censendos.

Verbum dulce, ait idem, & humana responsio multiplicat amicos & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat, Placidè igitur & dulciter loquamini Sacerdotes, si comparate vobis amicos, & inimicitas mortales, extinguere velitis.

Ezechiel Propheta Dei nomine veteris legis Sacerdotes coarguens ait, Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersa sunt oves meæ, dicit Dominus. Non vult Deus Sacerdotes austeritatem præferre, nec cum nimia potentia rigoreque imperare, sed benignos se & affabiles erga omnes ostendere.

Magnus Apostolus Paulus in clementia versatus quàm qui maximè, ad homines lucrificandos, & ad virtutem traducendos, humoribus illorum se attemperat, cumque infirmis se gerebat ut infirmum; factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrificarem Quam doctus & prudens ille Sacerdos est, idem qui fecerit & qui

Prov. 15. 1.
Reg. 28. 6.
2. Reg. 10.

Eccles. 4.
Sapiens est cum affabilis est.

Benignitas amicitiam gignit & rancorem dissipat.
Eccle. 6.
Ezech 34.
Non vult Deus Sacerdotes esse nimis seueros.

Sacerdos omnibus se attemperet.
1. Cor. 9.

Gal. 6. Peccantes leniter cor-
arguat.

& qui omnem maiestatem perosus humanum se gesserit, & omni se homini accommodarit. Fratres, ait idem ille doctor Gentium, si pre-occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui Spirituales estis, huiusmodi instruite in Spiritu-
lenitatis, considerantes inuicem; alter alterius en-
ra portate & sic adimplebitis legem Christi. Vobis hæc Apostolus scripsit, Sacerdotes, vos Spirituales esse, vos Spiritum lenitatis afferre; vos omni modestia in corrigendo corripiendoque uti debetis.

Iacob leni-
tatem su-
am prædi-
cabat.

Gen. 27.

Iacob Patriarcha sancta quadam ambitione pulsus, & primogenituræ ius sibi vindicare, pa-
ternamque benedictionem in se transfundere cupiens, dicebat Matri, *Nosti quod Esau frater meus, homo pilosus sit, & ego lenis.* Credebat Patriarcha, simul & ego, ut quis ius primogeni-
turæ obtineat, quod in Ecclesia Sacerdos obtinet, diuinamque benedictionem promeretur, non pilositatem & asperitatem, qualem habebat Esau, sed lenitatem & clementiam in verbis, qualis in Iacobo relucebat, requiri.

Ioseph le-
niter fra-
tres allo-
cutus est

Gen. 50.

Ioseph, totius Aegypti iam vicarius, fratres suos in summa rerum penuria pascens, à quibus tamen varijs magnisque iniurijs affectus erat, ob quas merito illis indignari succen-
reque & alimenta denegando, vindictam sum-
mere potuisset; nihil tamen horum fecit, sed magnam illis benevolentiam ostendit, in ne-
cessitate consolatus, lenibusque verbis & blan-
dis eos affatus est, *Nolite timere, ego pascam vos, & paruulos vestros, consolatusque est eos, & blandus & leniter est locutus.* Ad sancti huius viri exem-
plum Sacerdotes, iniurias sibi irrogatas obliuisci debent, rancorem omnem & indignationem
exuere,

exuere, asperitatem deponere, fratresque suos Christianos magna benignitate & lenitudine affari.

Cum summus Pontifex Aaron inaugurandus esset, precepit Deus ut sacro unctionis oleo vertex illius inungeretur, atque hoc ritu consecraretur, *Oleum unctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur.* Hacce ceremoniali umbra denotare voluit Deus, Sacerdotes & minores & maiores Ecclesie non nisi lenitatem & clementiam præferre debere, atque in omnibus se placidos & humanos ostendere, cuius rei oleum symbolum & figura est.

Oleum lenitatis symbolū. Exod. 29.

Samson cum ænigmata emblemataque intricata Philistinorum satrapis solueda proponeret, postquam iam leonem suffocasset, cuius in faucibus fauum mellis reperit, hoc illis diuinandum dedit, *De forti egressa est dulcedo.* Quod Philistini diuinare non potuerunt, equidem interpretari volo, dicamque, hoc euenire, quando Sacerdos qui omnium mortalium fortissimus est, mellea effundit verba, omnes placidè affatur, asperitateque non vitur; tunc scilicet è leone egreditur mel & è forti, dulcedo, quæ genuina ænigmatis est interpretatio.

Interpretatio Emblematis Samsonis moraliter exposita. Iud. 14.

Amos & Ioël aurea sæcula in lege Euangelica oritura præuidentes, dixere, tunc dulcedinem montibus demanaturam. Docere mysterium volebat, ex ore magnorum Sacerdotum, qui Ecclesie montes sunt, aliquando mel & verborum dulcedinem egressuram.

Amos & Ioël Sacerdotū dulcedinem docent. Amos 9. Ioel 1.

Rex Salomō in interiori tēpli sui oraculo imagines Cherubin constituit, eosque ex lignis oliuarum, *Et fecit in oraculo duos Cherubin de lignis*

Cherubin de lignis oliuæ docēt dulcedinem Sacerdotum.

lignis oliuarum. Sacerdotes porro viuz im-
gines & Ecclesie Cherubini sunt; illos vero
lignis oliuarum compingere, est dulcedinem,
lenitatem, benignitatemque, quarum oliua
symbolum, illis commendare.

Seratores
Roboamo
lenitatem
suasere.

3. Reg. 12.

Roboam filius Salomonis varios in regno
recenti motus expertus concilium suorum co-
git, qui motuum pacandorum rationem sugge-
rerent, seniores vero & rerum bene periti
dixere, *si hodie obedieris populo huic & serui-
& petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad
eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus.* Hec
materiam meam adaptans idem Sacerdotibus
consilium suggero, simulque moneo, ad schi-
mata diuisionemque Ecclesie impediendas, me-
liorem rationem non suppetere, quam populo
seruire, eorum petitioni cedere, & ad omnes
verba lenia proferre: itaque fiet ut in officio
imperaturi praualliturique sint, fidelesque om-
nes morigeros habituri.

Esth. 13.
Astuerus
regnabat
placide.

Artaxerxes Monarcha centum & viginti se-
ptem prouincijs imperans, regni sui satrapia
scribens, hoc eis suae benignitatis exemplum
dedit: *Volui nequaquam abuti potentia ma-
gnitudine, sed clementia & lenitate gubernare
subiectos.* Monarcham hunc imitamini Pralati
ti, potentiae vestrae magnitudine nolite abuti,
sed magna cum clementia & lenitate in Eccle-
sia subditos gubernate.

Indib. 9.
Benigno-
rum pre-
ces Deo
gratae.

Formosa Iudith Holoferni ceruicem iam
iam amputatura, hanc tacite ad Deum oratio-
nem effudit, *Humilium & mansuetorum sen-
per tibi placuit deprecatio, Deus.* Verè & pre-
deter cordata illa virago locuta est. vota enim
& preces benignorum leniumque magno per
Dei

Deoplacent, & imprimis in Sacerdotibus hoc locum habet.

Mansueti autem, ait Psalmographus, hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Egregium profectò oraculum, quo prædicatur, Sacerdotes qui benignioris naturæ sunt, & non austeriores, feliciter hanc terram possessuros, & infinitis in anima voluptatibus, pace interna potiundo, fruituros.

Inter proueria sua docuit Salomon, Deum deludere illusores, & mansuetis daturum gratiam. Hoc notate Religiosi, & cogitate, si illusores sitis, Deum quoque vobis illusurum; at si benignitatem fueritis consecrati, gratiam suam elargiturum.

Formosa Canticorum sponsa dilecti sui dotes perfectionesque recensens, ait inter alia, illum loqui suavissimè, vocemque illius adinstat saccari & mellis dulcem esse, vox enim tua dulcis. Quàm egregia laus est, quando Ecclesia quam sponsa illa denotabat, de prælatis suis dicere potuerit, vocem & verba eorum dulcia esse & sermones nectareos!

In secundo Machabæorum libr. Spiritus sanctus Oniæ Pontificis elogium concinnans, dulcedinem & benignitatem imprimis commendat. Oniam (qui fuerat summus Sacerdos) virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum. Vnde colligo præcipuas & dignissimas præsulis dotes esse, & optimum Sacerdotis vulgaris elogium, benignum esse & affabilem in conuersatione, in eloquio grauem, in moribus modestum.

Quinimò inter dotes quas in Episcopo requirit Apostolus, quasque ad illius perfectio-

Psal. 36.

Quanta bona promissa mansuetis.

Deus dat gratiam mansueris.

Prou. 3.

Sponsa sponsi vocem esse ait dulcem.

2. Matth. 15.

Onias Pontifex laudatus ob lenitatem.

Benignitas Episcopo necessaria.

Tit. 1.

nem esse putat necessarias, benignitatē & lenitatem recenset: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. benignum, sobrium iustum Quod autem ille de Ecclesiæ prælaris, equidem de singulis Sacerdotibus dixerō; censeo enim Sacerdotio illum indignum esse, qui seuerus & durus est.

Suam benignitatem Apostolus nutritiæ comparat
1. Thess. 2.

Thessalonicensibus etiam scribens ait, Cum possemus oneri esse vt Christi Apostoli, quibus auctoritate vt interdum licet, id non fuimus, sed facti sumus lenes (alias paruuli) in medio vestram itaquã si nutritrix foueat filios suos. Egregia Palloribus & omnib. omninò Sacerdotibus instructio, ne in officio suo seueri sint, peccatoribus non succenseant, non asperè corripiant; sed vnumquemque blandè affari, paruulos in lenitate & veros animarum nutritios se exhibendo.

In regul. Benignitas fit Sacerdoti naturalis.

Natura nostra nihil est tam peculiare, quam mutua inter nos communicatio, mutuisque officijs & obsequijs inuicem succurrere, & vt alter alterum diligat vt pote qui eiusdem esse, eiusdem sanguinis, eiusdem originis sumus. Philosophica hec gnoma docet, natura duce, omnes & imprimis Sacerdotes ad succurrendum inuicem, beneuolentiam mutuam ostendendam, & benignitatem cum omnibus agendam, propendere debere.

Gen 59. In past. p. 1. c. 6. moral. l. 21. c. 10. Lenitas ad homines, terror ad bestias regendas,

Deus Noachum eiusque filios benedicens ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terra. S. Gregorius allegoricum loci humanum sensum enodans, dixit, Deum non aliam ob causam hæc verba locutum, quam vt ostenderet, terrorem & seueritatem nobis non esse, nisi ad animalia subiuganda domandaque exhibendum, sed ad homines demulcendos regendosque lenitatem

lenitatem desiderari; vide igitur num Sacerdo- Sacerdo-
tes eam præ alijs ostendere debeant, cum illo- tes sint
rum sit animas gubernare? benigni

Homo teste magno Gregorio, iam inde à erga om-
creationis suæ primordio, idque naturali iure, nes.
brutorum animalium, non autem sibi simili ù Do- Moral. l. 21.
minus ac caput declaratus est: ideoque dictum est, c. 10.

ut tremor eius & terror super cuncta animan-
tia, non verò super homines sit; nam insolescere
& præter naturam superbire, est à sui similibus ti-
meri velle. Vobis hoc infigite sacerdotes, huma-
nitatemque discite, terror quippe & vehemen-
tior commotio ad animalia perterrenda & do-
manda spectat, ad homines verò regendos for-
mandosque benignitas ac lenitas requiritur.

Juxta Pauli vocem, inquit S. Bonaventura, in Lib. 4. Pbd-
arca tabernaculi cum tabulis virga simul & man- ret.

na est: nam vii scientia sanctarum scripturarum in Severitas
boni doctoris animo virga furoris est, ita est & lenitas
maxima suauitatis. Unde ostendere voluit, vir- sint simul
gam & manna, id est, correctionem & lenita- in Sacer-
tem in Sacerdotis animo, velut in arca Testa- dote.
menti, debere delitescere, & inhabitare. In Cant.

Quam præclare hoc docet Bernardus; Disci- serm. 25.
te qui iudicatis terram, inquit, esse debere vos Sacerdos
matres non verò Dominos subditorum vestrorum: videat ut
ita vos gerite ut amemini, non verò timeamini; si diligatur
verò severitate interdum opus est, paterna sit non potius
tyrannica: patres vos gerite in reprehendendo, quam ti-
matres in defendendo, mansuescite, ponite ferita- meatur.
tem, suspendite verbera, producite vbera, pectora
lacte pinguescant, non typho turgeant. Cur tam
grauster opprimitis, quorum sollicitudo & cura
vobis incumbit? Ahò non spectant hæc verba,
quam ut Sacerdotibus persuadeant, studere

illos debere vt amentur potius quàm timeantur à suis; illud quippe benignitate lenitateque verborum, hoc verò acrimonia & asperitate paratur.

Idem propemodùm docet S. Isidorus Hispanensis, *Talem, inquit, te redde subditis, vt magis ameris quàm timearis. reuerentia enim ex amore procedit, odium verò timor efficit.* ex eius sententia studere debent Sacerdotes, vt à suis diligentur, non verò vt metuantur & terrentur: hoc enim odibiles, illud amabiles honoreque dignos illos reddit.

In Synonymis.

Amor reuerentiam, & timor odium causatur.

Sacerdotes solam lenitatem spirent.

In norma viuendi cap. 12.

Stude, ait idem Episcopus, potius vt subditi te honorét & diligant, quàm horreant ac timeant, vt potius officio affectus tenerioris, quàm necessitate contradictionis tibi eos deuincias ament te magis quàm metuant: reuerentia siquidem ab amore, odium verò & auersio à timore oriuntur: timor fidelitatem tollit, affectio & dilectio conseruat. Quamobrem verba tua moderare & ordina, subiectosque tuos magna benignitate rege: *non sis terribilis in subditis, sed sic dominare, vt tibi delectentur seruire.* Sacerdotes igitur Sancti illius Patris monitis auscultando, nihil nisi dulcedinem ac benignitatem spirent, efficiantque vt subditi eos diligant potius quàm formident.

Lib. 2. de of. sic. c. 7.

Ambros. l. 2. de of. c. 6.

Sacerdotes qui amari volunt dulcedinē ament.

Nihil tam vtile, ait S. Ambrosius, quàm diligere, nihil tam inutile quàm non amari. Nam vultu haberi exitiale at nimis capitale arbitror. Ideo conari debemus, & omnē dare operam vt placidi, benigni, humani apud populū audiamus, itaque eorum animos demulceamus; nam popularis & familiaris bonitas vniuerso placet mundo; & nihil est quod citius hominum amos,

mos, amicitiam & benevolentiam conciliet, quam & morum hæc benignitate, facilitate Spiritus, præceptorum moderatione, verborum affabilitate, sermonis dignitate, patientia simul & modestia, temperetur & stiperetur. Incredibile scilicet est, quantum hoc ad benevolentiam hominum comparandam conducat. Sancto huic Episcopo credite Sacerdotes, vosque in omnibus benignos & humanos ostendite; hæc enim vnica est ratio, quæ omnibus vos reddere potest amabiles.

Affabilitas, ait idem Episcopus, sermonis ad conciliandam gratiam valet plurimum, sed hanc volumus esse sinceram, ac sobriam, sine vlla adulatione, ne forte simplicitas & puritas sermonis per verborum adulationem dedecoretur. Dicere vult, Sacerdotes semper ore mel, non verò adulationem assentationemque præferre debere.

Eundem sensum secutus Basiliius, docet Sacerdotem in congressibus facilem, in colloquiis dulcem ac benignam se præbere debere, non ut morionem agat, ludicra confectetur, iocæque Indibrio sit, sed sermones suos dulcoret, suauitatem sectetur, omnem rigorem duritiæque sermonis procul à se eliminans. In congressionibus inquit, *facilem, in colloquijs verò dulcem te præbe.* Doctrina hæc sequenda Sacerdotibus, vosque affuescite dulciter benigneque loqui, nullis verò minis & terrore nullo uti.

Expedit, ait Chrysostronus libro. 3. de Sacerdotio, grauem esse Sacerdotem, sed minime fastuosum, terrificum, sed humanum; visenda maiestate principem, sed omnibus tamen appellandum cœterum. Docere vos sanctus hic Pater vult, **Sacer-**

Sacerdotes, si grauitas vos deceat, dulcedinem & humanitatem multò vobis magis expedire ac consentaneam esse.

*In pastora-
lip. 2. c. 6.
Misceant
rigorem
dulcedini.*

Magnus Gregorius semitam eandem inuisens vult rigoris aliquid ac seueritatis cum suauitate misceri, & rigorem dulcedine temperari, & pastores duobus hisce armis instructos ne in mollitie, neu in seueritate excedere. Regat, inquit, *vigor disciplinae mansuetudinem, & mansuetudo ornet sermonis rigorem, & sic alterum commendetur ex altero.* Dicere vult, Sacerdotes ad honestè viuendum, & dignè seueritatem & humanitatem esse temperandam, & duas hasce partes simul instructas incedere debere.

*P. 3. pastor.
admon. 17.*

Idcirco, inquit idem Gregorius, *Spiritus sanctus in columba & igne monstratur, quia videlicet omnes quos implet, & columba simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentis exhibet.* Hinc ille Spiritu sancto repletus dici nequit, qui in dulcedinis malacia feruorem & zelum exiit, vel in zelo virtutem mansuetudinis penitus obliuiscitur. docere hic sanctus Pontifex vult, Sacerdotes, si ostendere Spiritu diuino se plenos velint, in anima zelum & affectionem simul & humanitatem præferre debere.

*Sess. 3. c. 1.
de reform.
Humanitas & seueritas Sacerdoti necessaria.*

Siquid, ait Concilium Tridentinum, per humanam fragilitatem subditos peccare contigerit, illa Apostoli Sacerdotibus suis est obseruanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, in omni bonitate & scientia. Sæpe enim in corrigendis plus valet gratia, & benignitas, quam austeritas, plus preces quam minæ. Plus charitas, quam auctoritas. si verò interdù ob criminis grauitate & enormitate virga adhibenda est, tunc rigor suauitate temperandus, iustitia misericordiâ mitiganda, seueri-

da, seueritas humanitate emolliēda: cūm vigi-
lāris & seduli pastoris partes sint, ouīū morbis
primò molliora & dulciora malagmata appli-
care, deinde si mali grauitas & morbi vis po-
sulet, ad ferrum & duriora remedia descen-
dere, Docet Concilium Ecclesiasticos, vt dignè
debiteque munere suo fungantur, humanita-
tem vnā, & si res exigat, seueritatis non nihil
altera manu praeferre debere.

Episcopo initiando, inter ceteras cærimo-
nias baculus in manus datur, atque hoc illi tum
accini solet, *Accipe baculum pastoralis officij, vt
suis corrigendis vitijs pie seuiens, iudicium sine
ma tenens.* Animas ad virtutem suauitate tra-
has, & in dulcedinis & lenitatis tamen malacia
disciplinæ non obliuiscaris & iustitiæ. Augusta
hæc cærimonia Prælati, & simul omnibus Sa-
cerdotibus instructioni est ob functionis & o-
neris difficultatem molestiasque in eodem
occurrentes sanctæ seueritatis arma interdum
esse adhibenda.

*Equos indomitos, scribit magnus Gregori-
us, blanda prius manu tangimus, vt eos nobis ple-
nus, postmodum etiam per flagella & calcaria
subigamus:* medici quoque solent amaris cata-
potijs mellita permiscere, vt æger gustus suau-
tate illectus decipiatur, atque ita humor letalis
ac noxius acrimonia & amaritudine expella-
tur. Sanctissimi huius Pontificis consiliū sequē-
do, Sacerdotes, qui veri animarum equisones
& medici sunt, benignè suauiterque cum illis
agant, quos initio refractarios & peruicaces
reperiunt, vt illos tandem pœnitentiæ & dis-
ciplinæ flagello edoment.

*Meminisse oportet, ait Concilium Aquisgra-
nense,*

X 5

nense,

Rigor &
suauitas
Sacerdo-
tio neces-
saria.
Pontificale
Rom.

3.p. Pastor.
admonit. 18.

Sacerdotes
medicis si
miles.

Cap. I 34.
Sacerdotes
sint colū-
bæ perli-
miles.

nense, Rectores, quia columba est in Diuinis scri-
pturis Ecclesia appellata, que non vnguis lau-
rat, sed alis pie percutit. Egregius hic conceptus
ostendit, Ecclesiasticos vngues ad laedendum
discerpendumque præferre non debere, sed a-
las dumtaxat ad percutiendum, id est verbis
lenibus coarguere, & columbarum instar vi-
uere.

In li. 1. Reg.
c. 24.

Sacerdos
sit vt pater

Si Sacerdotale, inquit Gregorius, quod admi-
nistramus officium, mentis integritate pensamus,
sic nos cum filiis nostris debet vnire concordia, vt
sicut Patres nomine, ita affectu probemur in opere.
Notate hoc Sacerdotes, tam que dignè officium
quod exercetis examine & ponderato, vt
quemadmodum appellatione Patres estis, et-
iam opere & re ipsa sitis, atque vt tales cum ve-
ris Ecclesiæ filijs viuatis.

Sacerdos
aliis con-
doleat

In eos qui a-
lios diuini
iudicant.

Aliorum afflictionibus condoleat, & cōmiseratione tangatur Sacerdos, inquit Gregorius Nyssenus, sibi que persuadeat, quod quamuis dignitate præcellat ijs, quos gubernat & regit, eiusdem tamen cum ijs naturæ esse, & similes in errores incidere, ac paria posse delicta committere. Ne sis in abscindendo & resecando ad deum promptus, tu inquit, qui orare Dominum debes, vt patientiã habeat in te, Tuum est, inquit, placare iudicis animũ Sacerdos, ac Mosis curam & sollicitudinẽ imitari. Has ego vobis litteras destino Sacerdotes, vosque ex animo exhortor, vt Spiritum compassionis induatis, aliorumque miserijs ad imitationem piorum illorum virorum condoleatis.

In Matt. 6. 2. Circa vitam tuam, inquit Chrysolomus, esse Seueri sint austerus, circa aliorum benignus; audiant te homines parua mandantem, & graua facientem. Con-
siliam

filium hoc sequamini Sacerdotes, & austeritate erga se-
ipsum in vos ipsos exercete, & benignitatem o-
stendite in proximum.

CAPVT XX.

Sacerdotes sint omnibus in rebus modesti.

Sapiens olim de gestu, forma & habitu ho-
minum externo loquens, dicebat, è vultu &
oculis hominem iudicari, è corporis etiam ha-
bitu, è risu dentium & ingressu illius internum
statum percipi posse, *Amictus corporis, & risus
dentium & ingressus hominis enuntiant de illo.* Sa-
cerdotibus hoc applicans, dico, ex eorum ha-
bitu, gestu, forma & moribus externis facile
percipi, quales sint intus, qualisue eorum vitas;
propterea omnem modestiam conseruentur
necesse est.

E gestu co-
gnoscitur
homo.
Eccles. 19.

Fatuus, ait idem paulò post, *in risu exaltat vo-
cem suam. vir autem sapiens vix tacite ridebit,*
vixq; ab astutibus percipietur. Hinc Sacerdotes
discant, quanta sibi sit modestia necessaria, si e-
nim effuse & cachinnando rideant, stultos se esse
demonstrant; at si in risu modestiam seruent,
sapientes se & prudentes ostendunt.

Cap. 21.

Mysticus ille amans dilectæ suæ perfectiones
& pulchritudinem exaggerans, malo eam pu-
nico comparat: *sicut fragmen mali punici ita ge-
na tua:* malum punicum igneo colore insigne,
quodque plura grana habet mirabili ordine in-
ter se disposita & collocata, denotare mysticè
volebat, animam tunc pulchram esse, & Sacer-
dotem Deo placere, cum charitatem omnes-
que actiones suas benè compositas & disposi-
tas habens, foris, Christianam modestiam exhi-
bet ac præfert.

Sponsæ ve-
nustas na-
lo punice
compara-
ta.
Cant. 4.

Salo.